UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De ordine: & statu, ac serie: & quòd suum quemque ordine[m] seruare oporteat. cap. lxxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-71880

Visual Library

De honore: & quòd alij aliis honorem habere debeant. CAP. LXXX.

F

Iob. IMPIVS non veretur faciem honorati viri: nec ſcit eiuſmodi hominibus honorem habere.

Rom. 12. Charitate fraternitatis inuicem diligẽtes, honore inuicem præuenientes.

1. Pet. 2. Tanquam Dei ſerui omnes honorate.

De publicanis. CAP. LXXXI.

G

Chryſ. *QVID eſt telonium? Legitima rapina, violentia libertate prædita, iniuſtitia legis præſidio ſubnixa. Quid eſt telonium? Pudoris expers peccatum, rapina excuſatione carẽs, latrocinio grauior. Latro pudore ſaltem afficitur, dum aliquid ſurripit: hic autem fidenti ac libero animo eſt, dum diripit.*

De turbarum ac tumultuum authoribus. CAP. LXXXII.

Pro. 6. PERVERSVM cor fabricatur mala: in omni tempore, qui eiuſmodi eſt, turbas conflat ciuitati. Propterea repentè veniet ei perditio ſua:
29. quia delectatur omnibus rebus, quas Deus odio habet. Viri impij inflammauerunt ciuitatem.

H

De ordine, & ſtatu, ac ſerie: & quòd ſuum quemque ordinem ſeruare oporteat. CAP. LXXXIII.

1. Cor. 3. VNVSQVISQVE in qua vocatione vocatus eſt, fratres, in hac maneat.

Ordo rerum omnium pater eſt.

De humilitatis ſtudioſis. CAP. LXXXIIII.

I

Gen. 18. RESPONDENS Abraham, dixit, Quia ſemel cœpi, loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis.

Exod. 4. Ait Moyſes ad Dominum: Obſecro Domine, non ſum eloquẽs ab heri & nudiuſtertius: & ex quo locutus es ad ſeruum tuum, impeditioris & tardioris ſum linguæ.

1. Reg. 25. Dixit Abigail ad Dauid, In me ſit Domine mi hæc iniquitas: loquatur obſecro ancilla tua in auribus tuis, & audi verba famulæ tuæ. Ne ponat oro Dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal, quoniam ſecundum nomen ſuum ſtultus eſt.

Abbatis Eſaiæ. In quo ſita ſit humilitas. *In hoc ſita eſt humilitas, vt quiſpiam peccatorem ſe eſſe reputet, nec coram Deo boni quicquam facere. Opus autem humilitatis, eſt ſilentium colere, ſeſe cum nemine metiri, non contendere, ſubiectum eſſe, oculos humi demiſſos habere, mortem ſibi ob oculos proponere, à mendacio abhorrere, inanibus ſermonibus operam non dare, maiori non reluctari, ſermonem ſuum conſtabilire nolle, contumeliam ferre, requietem odiſſe, ad labores ſe adigere, animum vigilantem præbere. Frater, ſtude hæc præcepta diligenter exequi, ne alioqui anima tua vitioſarum omnium affectionum domicilium ſit. In his ſingulis vigilanti animo elabora: ne vniuerſum vitæ tuæ curriculum inane atque infrugiferum reddas.* K

De artibus, & earum inuentoribus. CAP. LXXXV.